tagebuch;

# ORATIO PANEGYRICA,

Illustrissimo Domino, D. IANVSSIO DVCI IN OSTROG, COMITI IN TARnow, Castellano Cracouien: Wlodimirien: Cercassien: Bialocerkieuien: Canouien: Bohustau: Pereastau: Capitaneo, &c. &c. dicta, dicataq;

*A*

*SEBASTIANO SLSZKOWSKI, Artium lib: Magistro, & Phil: Doctore.*


VII. Cal: Octobris. Anno *D. M. DC. XII.*






CRACOVIÆ, Typis Simonis Kempinij.

# IN ARMA
# Illustrissimorum Ducum
# OSTROGIORVM.



QVid Bellator eques, monstrũ prosternere tentans?
Quid surgensq́; , notat, crux, & apertus apex?
Stella notat claros clarâ pietate Dynastas,
Queîs splendet sanctæ Relligionis honos.
Luna quid? aut rutilo distincta sagitta Pyropo?
Rectis in cœlum gloria pandit iter.

*Illustrißimo Domino,*

# D. IANVSSIO DVCI IN Ostrog, Castellano Cracouień: Capitaneo Canouień. &c. &c. Domino, & Patrono suo Colendissimo.

S. P. D.

*CElebris ac peruetus apud omnes paßim gẽtes mos erat, Illustriß: Princeps, Domine, Patrone Musarum inclyte, non modò diuis per modum gratitudinis sacrificare, sed viris etiam principibus, & de Repub: optimè meritis, tam publicè quàm priuatim acceßionem honoris gratulari: imò & donaria offerre, quæ simulachra eßent virtutis, & gloriæ monimẽta ad omnem posteritatem deriuantia: quorum contemplatione illi quoq; per insignem æmulationẽ ad easdem heroicas, & excelsas virtutes accenderentur, & ad immortalis gloriæ splendorem incitarentur. Hinc antiqui illi viuas effigies exprimere, illustri causa perpetuitatem merentium: quidam autem statuas in certamine Olympico, vel campo Martio victoribus solebant erigere. Et quidem quæ diis consecratæ erant,* Εἴδωλα: *quæ Heroibus,* ξόανα: *quæ Regibus,* Ἀνδριάντα: *quæ sapientibus* Εἴκελα: *quæ deniq; benè meritis ciuibus* βρέτεα *vocabantur, authore Pausania, & Plutarcho. Quo etiam pacto Alexandrum Seuerum Imperatorem imaginibus clarorum virorum lararium suum ornaße testis est Lampridius. Et Marcũ quoq; Varronem non solùm nominibus, sed etiam imaginibus septingentorum illustrium virorum libris suis insertis mirificè delectatũ fuiße*

*ſcribit Titus Pomponius Atticus. Quid ego de te dicã, Illuſtriſsime Princeps? Profectò ſplendor generis Tui, & virtutum tuarum claritas hoc requirere videtur, vt ſicut ille Alexander Magnus, non niſi ab Apelle pingi, à Lyſippo fingi debe-res. Multæ enim ſunt, & magnæ actiones Tuæ tum publicæ tùm priuatæ, quæ in ore ſunt omniũ: cũ & in Chronicis paſsim dexteritas maiorum tuorum legatur, & magnitudo meritorũ commemoretur: neq; enim humili, aut obſcuro loco celebratiſsima virtutũ Tuarum munera deſident, ſed quaſi è ſpecula quadam excelſa atq; illuſtri relucent, & radiis ſuis Reip. ſalutem protendunt: ob quæ non modò à Regibus, & ſummis quibuſq; viris, verũ etiam ab exteris nationibus, & populis, ac inprimis ab eruditis omnibus mirificè amaris, & obſeruaris. Tuum illi auguſtiſsimũ, & ſemper illuſtriſſ: nomẽ ſuſpiciũt, ac venerãtur. Et verò cum hoc tempore ſpectatiſsimã virginem, adeò omnibus gratiis ornatam, vt non ab hominibus genita, ſed à diis ipſis facta eſſe videatur, matrimonio tibi coniungere voluiſti; cum qua deinceps per omne reliquum vitæ Tuæ ſpacium placidè, iucundeq; viuas, cuius ſanctiſsimis moribus Te, & tuam conſtantiſsimam fidem committas, ex eaq; liberos expectes, qui nominis, famæ, dignitatis, gloriæq; paternæ ſint hæredes, & æmulatores: Quod felix, fauſtũ, fortunatũq; ſit: Tuã Sapientiã etiam atq; etiam admiror, eius autem felicitati admodum gratulor, quæ tibi ſe coniungit viro, qui virtute, & ſapientiâ, non modò eos, qui hoc tẽpore ſunt, ſed etiam antiquitatis memoriam omnem ſuperâſti. Nam cũ ſcias filios eſſe familiæ columen, & immortalitatis documentum, hoc intendis, vt cum eis*

*paren-*

*parentes renasci videantur, & extet honorificentissima nominis tui memoria apud omnes, ac rectè factorum claritas in omne æuum duratura prædicetur. Quocirca cum omnes paßim tibi applaudant, omnes in tui actus istius celebritate summa quæq; in te deferant animorum suorum argumenta, & fidelitatis ornamenta, egoné adeò deses, & ignauus ero, qui etiã tanquam anser inter olores nõ aliquid gestiente animo perstrepam? præsertim cum incredibilẽ Tuã humanitatem in te perspexerim in* POTOK *ante aliquot annos erga me declaratam, dum Czestochouiã proficiscens ad Magnificũ ac Generosum Dominum Martinum Silnicki, Dominum, & benefactorem meum benignè diuertißes, mihiqúe te salutãti singularem animi tui beneuolẽtiã declarâßes. Itaq; quò minus de tua voluntate erga bonas literas dubito, eò magis studio quodam incredibili beneuolẽtiam tuam erga me excitandi ardeo, & in numero tuorum clientum reponi vehementer exardesco. Accipe igitur, vir Maxime, ac Illustrißime, & accipe lubens volensqúe munusculum hoc qualequale literarium, animi mei syncerum pignus, & virtutis tuæ nunquã intermorituræ argumentum. Quod si (vt spero) non omnino tibi displicuerit, sedulam dabo operam, vt maiorum vigiliarum opere aliquo mea erga te, & tuos posteros, fides, atq; obseruantia simul cum laude virtutis tuæ & prudentiæ accuratiùs exactiùsq; expreßa, cunctis in posterum gentibus inclarescat. Vale Princeps Illustrißime. Dat: Crac: 7. Calend. Octob: Anno Domini* 1612.

*Illustrißimæ celsitudinis Tuæ*

*Addictißimus cliens*

M. Sebastianus Sleszkowski.

# ORATIO PANEGYRICA.

MAgnum & illuſtre munus eſt, Illuſtriſsime Princeps, de genere humano mereri: id eſt, multorum aliô flexas mentes ad metam illam Publici Boni ducere, ac dirigere. Reuera enim in hoc vno noſtra felicitas ſita, vt Publica ſalus ſalua, & integra conſtet; ac etiam optimus quiſq; naſcitur, non vt ſeſe molliter curet, ſed vt per ipſum in communi ſocietate benè beatèq; , id eſt, ſanctè, innoxiè, ex vſu publico, & priuatim, & publicè viuatur. Ego ita ſentio, omniſq; ſapiens mecum; & ſimul facio hac opellâ meâ in laudem tuam factâ, & teſtimonium immortalitatis, ob tua in Bonum Publicum merita atq; virtutes,

*quas nec ventura ſilebunt*
*Luſtra, nec ignotâ rapiet ſub nube vetuſtas.*

Publicè quippe intereſt aliquod virtutibus prœmiũ, aut prçconiũ ſaltẽ eſſe: & ne ijs ſit tantùm ex conſciẽtiâ merces. At enim quî ſic mereor? mereor: quia iuuo, & quidem veteres mihi præeũt, qui in publicis etiam conuiuijs Principũ virorum merita, & virtutes ſolẽni ritu, meloq; ſuaui occinentes, accendebant iuuẽtutis animos ad probitatem, atq; egregia geſta: præit Miltiades, qui ſuis trophæis non patiebatur ſomnum capere Themiſtoclem. Hoc ipſum hîc ego volo, & multorum animos ſuccendo ad virtutem, præclara facta, & amorem patriæ, dum breuiter te talium viuũ exẽplar ipſis præcino. Et rectè, duci natura mauult, quàm cogi: ad Principem autem virum reliqui ciues ſe formant, &

*Olim in publicuc conuiuijs Prĩcipũ virtutes legebantur.*

*Componitur*

*Componitur orbis*
*Eius ad exemplum.*

Nec cauſa occulta: quoniam ad alta illa verſæ plerũq; mentes, & oculi: nec tam imperio nobis opus, quàm exemplo. Sponte ſequimur, ſi præit virtute, qui dignitate. Neq; hîc inanis conatus meus, ſplẽdida, fateor, per ſe tua virtus, facta illuſtria; verùm tu, Princeps Illuſtriſsime, nõ huic duntaxat, ſed etiam illi vitę ſerui, quàm ipſa æternitas intuebitur: ſerui iudicibus, qui multis poſt ſæculis (vt hoc cum Cicerone dicam) de te iudicabunt; & quidem haud ſcio an incorruptiùs quàm nos: nam & ſine amore, & ſine cupiditate: & rurſus, ſine odio, & ſine inuidia iudicabunt, & imitabuntur; ſerui inquam, poſteritati, & benigniter patere de te, tuiſq; virtutibus aliquid proferre in lucem. Mihi ecce

*Libenter hoc, & omne militabitur*
*Bellum in tuæ ſpem gratiæ.*

*Abſq; aſſentatione.* Et quidem ἄνευ τῆς κολακείας: quia me procul ab ea finxit natura: ἄνευ τοῦ φενακισμοῦ: quia ab hoc vitio ſemper *Abſquè fuco.* ego alienus. Tu verò Princeps Illuſtriſsime,

*Dum tibi res, non te rebus ſubiungere conor,*

animum meum, quod præcipuè volo, vide, cognoſce, promoue, auraq; lenitatis & beneuolentię tuę ei ſpira, eum dirige, & accipe; accipe & tu ô mea Polonia, meis verbis, quẽ iã olim accepiſti factis Principem aureũ ab ęuo aureo, vt quẽ virtus, virtus inprimis, genus, merita in Rempub: ſplendidiſsima omnia decorârũt.

Magna

Magna est vis sanguinis, & originis, Illustrissime Princeps: quia è sentibus non gignitur rosa, ab hac ordior in re tua, & verè affirmo, non multas in vniuerso terrarum orbe gentes reperiri, quæ cum ea vel antiquitate, vel rerum gestarum gloria queant comparari. Videlicet alta ab origine per Duces ab Ostrog (qui olim è Ducibus Russiæ nobilissimis orti familijs locum, & lucem inter Sarmatiæ proceres semper tenueruut) deriuatus in te sanguis natales tuos instruit. Russus frater Lechi Polonorum primi Ducis (Historia, quæ est testis temporum, & lux veritatis, docet) vir clarus, & fortis, primus tibi Dux, & parens, venit in eam regionem, quæ nunc ab illo Russia dicta, eam suæ ditioni subiecit: diu salubriter rexit: tandem suis posteris Cio, Saieco, Coreuo, reliquit, qui per lõgos nepotes Ascolto, ac Dyro imperium felix, & propagatum tradiderunt. Quid hîc Ruricum, Seneum, Truborẽ, loquar? quid Olgum & Igorum, qui olim terrori toti Græciæ, memorem? Quid dicam Suatoslaum, qui Bulgariam expugnauit: octoginta Castra cepit: tributum pẽdere iussit: ex ipsa Græcia ampla spolia retulit? *Matthias à Miech rerũ Pol Scriptor lib: 1. cap 2.*

*Maior rerum mihi nascitur ordo,*

*Maius opus moueo,*

nempe ad Volodimirum, virum rarũ, & ab aureo æuo, propero; ab aureo dico, quia ipso rerũ potiente, aurea Russis ætas illuxit: id est, Russia illustrara diuini luminis splendore. Hic namq; Anna sorore Basilij & Constantini Imperatorum orientis in coniugem accepta ta- *Año 990*



ptâ ta-

ptâ, tactus diuini Spiritus afflatu, ſimul doctrinam, ac fidem veram in Chriſtum, æternam æterni Patris ſobolem, verum Deum, verum & hominem accepit, & magnâ celebritate cum duodecim filijs, more gentilicio ex pluribus olim genitis vxoribus publicè ab Antiſtite Corſcimẽ: aquâ ſalutari perfuſus, totam Rusſiam ad eandem religionem exemplo ſuo exciuit: monitis, ac præmijs allexit: minis, ſupplicijsq; traxit pertinaces. Mira ipſius pietas, & feruens in augenda religione Chriſti Dei, qui æternum

*verbum, quo omnipotens condidit omnia*

mirificè Principem dignum in ſui amorem accẽderat. Ecce ſuis manibus templa, & idola falſorum Deorum demolitur: ecce ſimulacrum fulminis à ſe, & à ſua gẽte maximè cultum, equis illigatum iubet trahi, & in Boryſthenem inijci. Vidit mehercle, & ſenſit religionem veram eſſe fulcrum, atq; vinculum Reip: adeò, vt hęc cum illa florente floreat, cadente cadat. Porrò quoniam qualiſcunq; ea hauſta peruicaciter inſidet, & ſua cuique optima videtur: quia non ratione, ſed affectu à ſingulis diiudicatur. Senſit vir *D*eo dicatus, populum ægrè ab inueterata ſuperſtitione auelli: & ideò ipſe omnibus inſpectantibus manu ſua, arboribus, quas ante coluit, ſecures impingẽs, & ab radicibus deturbãs: Non eſt (clamabat) non eſt Deus, quod exſcindi, & deijci poteſt: agnoſcite miſeri errorem, oculoſq; mẽtis iam tandem conuertite ad Deum, verum conditorem omnium, in omnia potentem. O virum rari, &

ſingu-

ſingularis exempli, vereq́; natum ad diuina! Nullũm in ea re laborem fugit, nullam extimeſcit difficultatẽ; etiam à Conſtantinopolien: Patriarcha (nullum credo id tempus diſcidium habuit Eccleſia Orientalis ab ea, quæ cæterarum omnium eſt mater, ac magiſtra, à noſtra dico, quæ eſt Catholica Romana) viros doctiſſimos, religionis veræ profeſſores, qui primi nouellas illas, ac teneras, nuper in horto Chriſti conſitas, plantas copioſis ſalubrium præceptorum imbribus rigârũt, aduocauit: Metropoliten Kiouiæ, Archiepiſcopum Nouogrodi, in alijs vrbibus Epiſcopos, conſtituit. Hic ego vos Illuſtres animę Iaroſlae, Iſaſlae, Baſili, Roſciſlae, Suatopelce, Georgi, Iaropelce, Volodore, Mſciſlae, Romane, Leo à quo Leopolis, Theodorote, *Io*annes, Conſtantine, vel inuitus prætereo. In exigua tabella, id eſt, in anguſto vnius orationis curriculo nequeo veſtra facta pingere, ſeu exprimere: Danielis ſaltem caput oſtẽdo, totum reliquum abſcondo corpus. Hic poſt Colomanum *R*egem, è numero viuorũ expunctum, Vngaris, vi, & magnâ potentiâ eiectis, imperio totius *R*uſsię potitus, ob merita ſua in religionẽ, & ſingulares virtutes, inſigne, ſceptrumqúe regium ab Opiſſone, nuncio à ſede Apoſtolica in Poloniã miſſo, obtinuit. Rex fuit, honorẽ regium habuit, æternũqúe in Ruſsiâ ſuis reliquit, ni ſuccedens ætas, minùs cupida honoris, aut ambigens neglexiſſet. Sed

*tantúmne aliquis ſibi poſſe videtur*
*Fata quoq; vt ſuperet?*
*Certa ſtant omnia lege.*

*Abbate Meſſanen*

*E Conſili Lugdunẽ ſi ſub In nocẽtio 1240.*

Et ab

Et ab omni æternitate fataliter (pio dico sensu, quia ex Deo pergunt cuncta ordine suo) omnia destinata: nec cõsilio prudenti, nec remedio sagaci, diuinæ prouidentiæ fatalis dispositio subuerti, aut euerti potest. Stat æterni Dei lex æterna: ego per innumeros alios atauos, & prauos tuos venio ad Ioannis filium, tuum, Priuceps Illustrissime, auum.

*Neminẽ fata præterreunt*

*Hic vir hic est Diuûm genus*

Constãtinus noster, verè magnus inter magnos, quem magnitudo animi, & prudentia, cuius vtriusqúe egregium specimen dedit in publicis, ijsqúe arduis, negocijs; imò ipsa

*Ardens euexit ad æthera virtus.*

Accipe de illo testimoniúm, seu elogium Pisonis, viri magni, Nuncij sedis Apostolicæ, ad Sigismundum primum Regem nostrum: *Dux Constantinus Ostrogius in re bellica facilè princeps; domi Numa religiosior, foris Romulo non inferior, in quo nihil est, (omnes vno ore dicunt,) quod probari nequeat: ter & tricies feliciter victor.* Quid mirum? verissimum Græcorum verbum:

*...issi à ...cone 10.*

Εξ ὧν ἔπαθες ἔμαθες

*...quibus ...sus ab ...s doctr.*

& Miseria prudentiæ bona mater. Quippe Principes optimi, & prudentissimi, qui aliquãdo in aduersa sorte. Talis noster: quia adhuc iuuenis bello captus, per annos septem apud Ioannem Ducẽ Moscouiæ in vinculis egit; egit, & sapere didicit. Nõ aditum, non exitum facilè reperio, si semel me penetro in profundum hoc rerum ab eo gestarum. Pugnas, victorias, triũphos, monu-

*...ub Alex... and: Re... indi... o, ob nõ ...ectũ in ...ce Vilñ: ...u Russ.*

monumenta, munera ipſius obſtupeſcimus Visné paulululum in his peregriner? Facio. oculos attole, & vide, quàm eum iuuat acer cruentum, *templum post acceptã à Rege in matrimoniũ Helenã filiã Ducis Moſcouiæ*

*Vultus in hoſtem.*

Vide quàm acerrimus ille propugnator Patriæ, ( extrema enim hîc tantùm tango ) vide inquam. Ecce teſtis *R*uſsia, quæ ſæpenumero magnis oppreſſa hoſtium copijs, eorum ipſorum ſanguine redundauit. Scytharum tres exercitus ingentes apud *S*luſcum ad internecionem cęcidit. Etiamnum cupis? Viſnouecia dat fidem, quam magnis cinctam periculis, & celeritate conſilij, & terrore belli explicauit, dum viginti quatuor millia Scytharum paruâ manu minore ſuorũ clade ( quis credat vix centum ſuis amiſsis) penitus deleuit. Nec hoc quidem ſatis eſt? Canouia docet, quam è faucibus Scytharũ eripuit, dum viginti ſex millia hoſtiũ profligauit. Sic ea gens famelica, vel è flammâ cibum ſolita petere, diuinâ Ducis Oſtrogij virtute cõpreſſa. O crudi Scythæ aſſueti viuere rapto, hiſce cladibus

*Diſcite iuſtitiam moniti.*

τὸ θεῖον μετὰ σχολῆς καὶ τάξεως βαδίζει; vigilat tñ Diuinus ille oculus; & *Numẽ diuinũ lẽte & ordine progreditur*

*Nunquam antecedentem ſceleſtum*

*Deſeruit pede pæna claudo.*

Ecce ſiſtit effręnem illum veſtrum impetum, & vos peccantes, paratoſqúe peccare benigniter tollit. Tollit vnâ vobiſcum ſuperbum, ac ferocem Moſcum per noſtrum Ducem Conſtantinum. Quid agis, ô Baſili, Dux Moſcouiæ.



*Diſtri-*

*Diſtrictus enſis cui ſuper impiâ*
*Ceruice pendet?*

Quid nobis, quid imperio noſtro inſultas? quid Polonis necem, Lituanis compedes minaris? quid gentem, & militem noſtrum flagris iam ante victoriam in Moſcouiam abigis? O impudentiam, ô inſaniam, dum tam audacter.

*Tales & tantos rumores ante ſalutem*

poſueris! dum tam impudenter, & inconſpectè cum Plautino milite totum agmē noſtrū vno ſpiritu difflaueris! An te cepit aliquando cæleſtis illa curia, & tu illius decreta? Perge Tyranne,

*Dominare tumidus, ſpiritus altos gere,*

& ſitiens ſanguinis, prædęqúe, minas, & cędem ſpira; rape (prout polliceris) cęde, vre, vaſta. aberrabis mox à mente tua demente. aliud ecce ſupremę mentis in ſupremo illo conſiſtorio ęternum ab ęterno decretū, occulto fine te inſcium inuitumqúe trahit ad tuum finem. Agè dum flores pauliſper, & viuis in hac ſcęna, primo iam ante tecum pręcipe, elationem iſtam tuā, vel (vt verius dicam) ſuperbiam, manere lachrymas, & deiectionem. Differis enim ad tempus, non dimitteris: nemo quippe crimen in pectore geſtat, qui non idē Nemeſim in tergo. Hodie magnus es? cras alius, aut nullus: Videlicet ſuperbię aſsidua comes deiectio, & pęna Dicam in hac Tragędia cum Tragico Poëta:

*Sequitur ſuperbos vltor à tergo Deus,*

qui nihil altum præter ſe vult; eiqúe proprium

τὸ

τὰ μὲν ὑψηλὰ ταπεινοῦν, καὶ δὲ τάπεινα ὑψοῦν. *Erecta deijcere, deiecta erigere*

Clarum in magno Persarum Rege Cyro, qui à Thomyri capite truncatus, & caput in vtrem humani sanguinis plenum, iniectum: Clarum in Alexandro Macedonum Rege, qui dum etiam homo fastidit esse, veneno extinctus, septem diebus insepultus iacuit: Clarum in Iulio Cæsare, inter pompæ fercula trium verborum pręferente titulum, veni, vidi, vici, qui in *C*apitolio à *S*enatu suo tribus & viginti vulneribus confossus: Clarum in Baiasite, qui à Tamerlano captus, cauea ferrea inclusus, per omnem Asiam rerum humanarũ spectaculũ ductus, desperatâ liberatione, iteratis validis ictibus, caput caueæ incussit, & indignantem animam emisit: Clarum in Tomambeio Ægypti Africęq; Sultano, qui arbiter paulò ante vitę necisq; gentium, in vrbe sua principe, mulo vicatim per ludibrium circumductus, infami laqueo strangulatus. Quid hęc memoro? clarũ in te, ô Basili, cuius omnẽ vim vis illa suprema, à qua est omnis vis, subuertit, & euertit. Fuge,

*heu fuge, teq; neci, teq; eripe vinclis.*

Ecce Cõstãtinus Ostrogius, qui in hoc euẽtu mẽtẽ sua subiecit *D*iuinę menti, & omnia sua æterno eius decreto, ad Orsam Borysthenem cum suo milite traiecit: octoginta millia validissimi tui exercitus disiecit, & dissipauit: quadraginta millia cęcidit: quatuor ampliùs millia in seruitutem cum supremo tui exercitus Pręfecto Ioanne Andrea Celadino, cum omni fermè *S*enatu tuo, in seruitutem abduxit: Castra, diuitiis referta, diripuit

puit, vaſtauit, incendit. Vbi nunc illa ſuperba men: tua, ſuperbe Baſili? Non ſuſtines, video, vires Ducis noſtri, deſeris *S*molenſcum, Moſcouiam vſqué fugis; & neq; hîc ſatis tutus, aut tectus, diffidis rebus tuis, & trepidas cum tuis, & toto illo peramplo Ducatu. Siſte hîc gradum, fortuna belli tibi pepercit. Pacem pete à Rege, pete à Duce; faciliter habes, non in te procellę deſęuiũt grauiores. Mitis illa Diua Clemẽtia, quę lenit, quę tẽperat, quę ſeruatũ it, eos ipſos qui ſe perdũt: & anni tempus horridum inuictum Ducis mei ſiſtit animum, Magnum virum, Principem vides virum, auum tuum, *P*rinceps Illuſtriſſime, & maiorem videres: vberior enim, & copioſior offertur mihi materia de illo dicendi; ſed mihi lingua, ingeniumq; titubat, & animus ad alterum *C*onſtantinũ, huius filium, tuum Parentem, feſtinat. Quid hîc faciam? quò me vertam? Nimirum non ipſius admirabili, inuſitatęqúe virtuti par à me orationis genus poteſt adferri. Quid à me? omnium eloquentiſsimorum ſtudium dicendi, illius dignitate inferius eſt. Magnus hic vir fuit, magni Ruſsi

*Magnâ de ſtirpe nepotum,*

magnum eius in religionem ſtudium, magna in bonũ Publicum merita, & quę nulla vnquã obſcurabit obliuio. Illuſtris ſiquidem, & peruagata eius fama multorum magnorúmq; meritorum, & in ciues, & in *P*atriã firmiter radices fixit. Noſtrum vixit ęuum, nouimus quantus ille Princeps, nouimus prudentiã, virtutes, facta; laudes exprimere nõ poſſumus, & ſilemus. Neq; etiam

etiam Sol eget alienæ lucis: non item noster nostri prçconij. Breuiter dico: *Toga* & Sagum Virum principem habuit; & diuino consilio, in illo confinio ferocissimarum, & rapacissimarum gentium, nomen Christianum, & Polonicum acerrimè impugnantium, constitutus fuit, tanquam in communi quadam arce, & propugnaculo ad sustinendam, & propulsandam barbarorum immanitatem, atq; agendas pro nobis excubias. Ita est profectò,

*Hostis non illi quisquam se impunè tulisset*
*obuius armato;*

& ideò quod vixit (atq; vtinã diutiùs vixisset: sed enim ex hac vita ad beatiorem abijt) virtute illius tegebamur: laboribus quiescebamus: periculis defendebamur. Ex hac aurea, & nobili stirpe tu aureus & nobilis ramus maiorum luce exsplenduisti; sed magis tuâ, quippe qui talem fortunam facere potuisses, nisi accepisses: imò maiorem, maiori luce virtutis, & meritorum. Etenim te ad verum decus nitentem, ingenij cultus, illaq; studia exceperunt, à quibus facilè itur in omnes dignitates. Scilicet ab ipso ineuntis æui flore accessit tibi institutio diligens, rectaqúe, radix & fulcrum totius reliquæ vitæ, à quâ per templum Virtutis ad templum Honoris,

*Quò te cælestis sapientia duxerit, iisti.*

Ecce domi Græcis, pariterq; Latinis literis, & pulchris moribus diligenter excultus iuuenis Deo Duce in Italiam, matrem scientiarum, elegantiarumqúe, missus, ita

 ibi

ibi egisti, vt voce ac digito signareris probitatis, modestię, grauitatis exemplar. Musarum pariter, & gratiarum decus. Quoniam moribus in illa ætate grauibus, humanitatis tamen, ac facilitatis condimento tẽperatis, eos quibus cum vnà eras, & incredibili quadã iucunditate tibi conciliabas, & exemplo tuo ab omni improbitate reuocabas; literis verò atq; ingenio senum etiam doctissimorum doctrinam æquabas, ingenia superabas. Reuera quos magnis & nobilibus populis rectores destinauit supremum illud Numen, in eis plerumqúe virtus non expectat annos: sapientięq; semina eorum animi & comprehendunt faciliùs, & tempestiuiùs adolescunt. Breui hîc imbibisti priscos illos Doctores ad vitam formandam, rationem gubernandæ Reipub: danda capiendaqúe de rebus magnis consilia: hîc scientiã de temporum ratione, terrarum situ, populorum institutis, ingeniis, moribus, gentium inter se naturali sensu, aut dissensu hausisti: hîc Historiam percepisti sacram & profanam, nouam & veterẽ, domesticam & externam. Et sanè vtiliter: dici enim non potest, quanto tibi nunc & ornamento & auxilio doctrina sit, cum te & generis tui nobilitas, & tua virtus iam ad Reipub: gubernaculum admouerit. Fęliciter in Poloniam redijsti, & statim ostendisti, nunquam desidem atq; ignauam esse virtutem: nullas ipsi esse à pręclaris actionibus ferias: fortes & constãtes animos non ad quietem inuitari, sed ad labores & munera in Repub: suscipienda suscitari. Annos natus non amplius

pliùs octodecim, Dubnũ obſidio & periculo grandi à Scythis cinctum, cuius ſeruandi vix ſpes iam erat, auſpiciis paternis, belli celeritate explicaſti. O felix principium rerum à principe iuuentutis. Magna iam tum omniũ de te ſpes, & expectatio; neq; fefeliſti. Promouit Deus benignus altiùs tuã virtutẽ, quia tibi ab ipſo pincipiũ; ab ipſo, inquã, & vero de ipſo ſenſu, vero in eũ cultu. Diſcidiũ fuit, & eſt fidei Græcę, quã tu à parẽtibus, & maioribus tuis acceperas traditam, à noſtra Catholica Romana Eccleſia, quę omnium diuorum eſt communis mater; & in cuius gremio (vt hac aurea gnome ab ore aureo prolata vtar) mori felicius eſt quàm ab initio naſci: cum non naſci ſatius ſit, quàm in hac non mori. *Hic enim* (verba Lactantij vſurpo) *eſt fons veritatis, hoc domicilium fidei, hoc templum Dei, quod ſi quis non intrauerit, vel à quo ſi quis exiuerit, à ſpe vitæ, & ſalutis æternæ alienus eſt.* Tu intrauiſti, exire noluiſti; ſed ſemel eam complexus fortiter, & conſtanter ſeruaſti, & quidem multa dura & difficilia perpeſſus à parente tuo, ad religionem Græci ritus reuocante. Profectò triplici hic Ægide munieras pectus: vero iudicio, ac ſenſu de rebus humanis Diuiniſqúe: Recto & immoto animi robore, non elati externis, aut fortuitis depreſsi: Voluntaria perpeſsione rerum, quæcunque homini aliunde accidunt, aut incidunt; & ideò ſtetiſti, vt in medio mari edita & altiſsimis defixa radicibus rupes, ſtetiſti, inquam, firmiter, & gradum firmaſti cõtra hunc inſurgentem aſſultum. Vidiſtin' in ſcutis quorundam

*E teſtam[ento] Ioañ[is] Zamoſci[i] ſupmi Pr[æ]fecti exe[r]citũ, & Cancella[rii] regni Pol[oniæ]*



rundam

rundam hodie Regum ſublime illud: NEC SPE, NEC METV. in te conuenit, qui altus contra omnem caſum, & erectus, magnum illud tibi vindicaſti: NON MOVERI. Et Reuera fuit. inconcuſſus inter nimbos, & fulmina, & tempeſtates, atque

*mediis tranquillus in vndis*

in hocce tali caſu viſus es. Quid mirum? vt heliotropium ingenio ſuo ſemper ad ſolem: ſic ratio tua ad Deum, originem ſuam, obuerſa, firma in bono fuit, & immota, vnum idemqúe ſentiens, vnum idemqúe appetẽs. Macte animi perge in hoc tali paſſu fidenter, &

*ne cede malis, ſed contra audentior ito*

*Quàm tua te fortuna ſinit.*

Non enim deſerit vnquam Numen benignum ſibi fidentes: & tibi in vero de ſe ſenſu, in vero in ſe cultu contra omnes inſultus præſtò fuit, &

*per obſtantes cateruas*

*Explicuit tua victor arma,*

dum hæc vincla ſolicitudinum, quibus in hoc Caucaſo ligabaris, dempſit, téq; nouum Prometheum, nouus hic & verus Hercules ſoluit, & hanc pietatem largiter munerauit, quâ per ipſa pericula ſuum nomen, & Numen pio ſenſu, pio cultu, idqúe priſco more, iuiſti aſſertum, defenſum, propagatum. An non te vna? Profectò hanc pietatem in pectus demiſſam virtutũ agmẽ conſecutum eſt, atq; etiam fælicitas externa. Et hoc ab omni æuo obſeruatum; Deum qui ſe colũt attollere; & piis, religioſisqúe Principibus proſpera plurimùm

eucnire

euenire. Vide vel in vna familia Austriaca. Rudolphus primus, huius gentis origo, merito pietatis fluctuans per dissidia imperium stabiliit, & gentem fatalem sceptris regnisq; propagauit. Vide in Te ipso *D*ux *I*llustrissime, in quem Deus ob hanc ipsam rem effusus in suis dotibus internis, atq; externa fęlicitate, quibus sine titulo magnus es, & à teipso clarus. *S*ed hoc remota inuidia posteri magis dicent vix credituri, decrescentibus demum naturæ annis, tantum virtutis decus affulsisse; & quem vixisse moribus antiquis intelligent, antiquis quoq; temporibus natum putabunt. At uerò perēnis naturæ fœcunditas ac æterna est. Omni æuo gignit, viros bonos, viros Principes. Nostro tu natus genio & ingenio, prudentia & virtute, in qua tibi *D*iua pietas præluxit, nomen prius, idq́; æternum, inuenisti, quàm pręsagijsti. Et facilè fuit. namqúe tibi memoria in id supra quod ascendi non potest, euecta: mens in tantū bona, quanta ex ipso virtutis vtero nasci potest: iudicium, quod ne qui intellexit quidem, sat & super miratur: ingenium, quantum vel mortalitas recipit, vel industria percipit: prudentia succedente ætate incredibilis vereq; Diuina, & quæ vtrū ciuilibus magis operib⁹ an bello suffecerit, in ambiguo est. Iā grauitas in vultu vbiq́;, & auctoritas in verbis & factis tuis singularis, at simul etiā comitas & humanitas: illę venerabiles, istę amabiles, adeò, vt nemo sit, quē Sarmatia nostra magis reuerita sit, minus verita, & in quem duplici isto feratur affectu venerationis pariter, & amoris. Quid hîc

virtutes tuas numerem? *Rectus*, & sine fuco, virtutis amãs tibi animus, & animi erecta magnitudo par vtriq; Fortunę. In altam Fortunam multi nimbi, procellæ, fulmina incidunt, aut incurrunt. nil miserius Principe qui ad singula moueatur, aut se inflectat; nil te felicius: quia sicut adamas, nobilissima inter gemmas, infractam vim habes ad omnia incerta rerum humanarũ. Namq;

*Rebus angustis animosus, atq;*
*Fortis appares: sapienter idem*
*Contrahis vento nimiùm secundo*
*Turgida vela.*

Tractas humana, eáq; nosti: sed iis te etiam eximis, & tecum dicis: O quam contempta res est homo, nisi super humana se erexerit. Erectus tibi, dixi, animus; sed etiam ius, & æquum in se, inqúe aliis firmiter seruans, & clemens atq; benignus. Namqúe à barbaro istud est barbarum: IN MAGNA FORTVNA ID ÆQVIVS, QVOD VALIDIVS: & ideò sola credis licere tibi laudanda, omnibusqúe tribuis, quod suum est, meritis præmium, noxiis pænam; sed etiam simul lenis, & temperas, etiam noxios eripis, lapsos erigis. Et sanè hæc mitis Diua decet magnos animos: & quod notes, non nisi in eos cadit. Siquidem hęc

*Cor: Tac. iv. Añal.*

*Est summa virtus, petitur hac cælum viâ.*

Ampliùs: continens & temperans: non enim quicquã indecorè effæminateué dicis, aut facis, sed omnia decenter, viriliter, in ordine & modo. Taceo alias reliquas virtutes, quę in tę Sole clariores. Quid illa admirabilis

rabilis

rabilis moderatio in alta Fortuna? Mehercle inter tot obſequia Fortunæ difficilè eſt non alta ſapere, & non abripi licentiæ ventis: quia inter talia non ſatis cauta mortalitas. Non difficilè tibi: quia noſti hominem te eſſe: magnas arbores diu creſcere, vnâ horâ extirpari: cuncta mortaliũ incerta; & ideò quantò plus adeptus es, tantò te magis in lubrico cenſes, ideò ſenſum de te, tuiſqúe temperas, imò & actionem. Hinc ſermo tibi grauis, & paucus; ſed idem prudens. odiſti quorum omnis virtus in lingua ſita. Cultus decẽs, & ſobrius. turpe quippe ducis viro, cùm animum habeat, captare laudes ex corpore. Et certè quid opus? Ἔμοι γέ δοκεῖ καὶ ἐκ θεῶν τιμὴ τῆς καὶ χάρης συμπάρεπθει Ανδρι ἄρχοντι. Cum Xenophonte dico. Age verò in diuitiis maius quiddam eſt, quàm imperiti ſuſpicentur, rectum curſum in vndoſo iſto mari tenere, tenes,

*Mibi videtur à Deo Venus quæpiã comitari virũ Principẽ.*

*te liquidus Fortunæ riuus inaurat.* Sed

*Dij tibi diuitias dederunt, artemq; fruendi:*

quia prudenter mentem ab his, ad altiora natam, auocas, & contemnis; ſed contemnis cum modo, qui niſi adeſt, inſipiens omnis ſapientia eſt. Et quidem homini ego nil humanarum rerum magnum eſſe fateor, ſi animum, & cœleſtem illam particulam ſpectes: ſi corpus, & ſi vitam, cur prorſus negligas ea, quę ad opes faciunt, aut honores? Abiectè ſapit quiſquis ea ſic abijcit. Tu te erigis: quia tibi omnia ad Bonum Publicum, omnia ad pietatem, & ſalutem directa: ad quam niſi pertingimus, malè, & infeliciter decurrimus

hoc

hoc quicquid est vitę. Hinc te Deum quendam terrestrem ad benefaciendū humano generi è cælo missū ducimus: quia fontem benignitatis tuę in omnes reserasti; & verè fontem: ita largiter, & perenniter in omnes fluit. Nec ista in gratiam, aut gloriam. Deo soli, & vsibus humanis imputas: & fructum beneficii vnum censes, FECISSE. O rarum mirúmq; virum: O dignum hac, & maiore Fortunâ, qui tam bene eam cepit: Sic, Princeps Illustrissime, in omni externa specie facis, & ego videre te videor

*Tranquillum, vultus submittentemq́ modesti*
*Fortunæ vexilla tuæ.*

*Curt. lib. vij.* Modestiam enim ab Scythia præcepto non Scythico complexus, Fortunam tuam pressis manibus tenes, & felicitati fręnos imponis; atq; ita, licèt lubricam, faciliùs regis. Deniqúe mores tui quales? Poëtę verbis describo:

*Fœcunda quies, virtusq́ serena,*
*Fronte grauis, sæuusq́ decor, luxuq́ carentes*
*Delitiæ.*

Voce magna clamo: omnia habes sine iactantiâ, procatiâ, vanitate. Et non miror. Fulcimentum omnibus hisce doctrina, quam cum ipso hausisti lacte: per hanc enim animus noster discit omnes motus magis habere in potestate. Hinc Plutarchus Marcio Coriolano, & Caio Mario, summis alioqui viris, hanc vnam defuisse ostendit: qui si Musis, Gratatijsqúe litassent, non impetu ablati tam fœdum, & turpem rebus suis

exitum

exitum dedissent. Litasti, ô Princeps, vtrisq;, atq; produ cis in vsum publicum. Quid enim ille innatus amor in viros doctos? quid in Academiã nostrã, antiquam sedẽ Musarum, atq; virtutum? Odisti nouellos Doctores, qui noua concinnabula aperiunt, & non candidam simplicitatem, sed fucum, atq; adeò in suum, nõ Publici Boni vsum. O fælix olim Polonia, cum tibi rectores, & Senatus ex hoc vetusto Gymnasio! O fælix Academia, mater mea, cum Reges, & omnes Regni ordines certatim in amorem tui inclinati. Si qua Academiarum in orbe terrarum (audacter sic loquar) floruit; eam Cracouieñ. ex animi mei sententia possum profiteri. Sed hîc mihi suspirium: heu decor ille, & flos omnis, quomodo exaruit? Agnosco vt in mari fluxum hunc Fortunę, & refluxum: & Prouidentiæ occultam legem, quę attollit, deiicit, iterumqúe attolit: & tibi (præsagus Vates vera ominor) ô Academia mea fiet. Interea animum erige, & præi nobis exemplo ad robur, & constantiam, quia, vt formosa corpora etiam in morbo vestigia decoris sui retinent: sic tu pristini splẽdoris. Confide autem: deliquium aliquot veluti Solis est, non interitus; exurges. Ita me credere firma tua in Deum pietas, in Bonum Publicum amor, in Regẽ tuũ, & Ordines Regni obsequiũ, atq; candor cogit: ille, & isti aderunt, & Genius inprimis tuus potens, & perpetua tutela. Vis fidem? Ianussius Ostrogius Princeps inter alios tibi offert, qui dictis, & factis, pro aris, honore, saluteq; tua cum liuore calumnian-

tium depugnat; & nō in alio, in tuo gremio alumnos suos semper fouet, & alit in vsum vtriusq; Reipub: sacrę, & prophanę. Et non immeritò: omnis ætas docuit, literarum studiis, & florentibus ingeniorum virtutibus, imperia crescere, & florescere. Gaude ô Academia mea tanto protectore: gaude ô Polonia tanto Senatore. Vidit enim Sigismundus Rex sapientissimus bona tua, ô Princeps, cùm te coram vidit: Vidit istam dignitatem corporis, eloquium oris, animi prudentiã; & statim in sanctius consilium adsciuit, auxit, dico, SENATORIA, eaq; primariâ dignitate, quã sustines cum fauore, laude, plausu,

*Omnibus incutiens blandum per pectora amorem.*

Diuinitas quędam videtur, & est profectò hęc dignitas in te: *Nam consulta Patrum, nam leges iuraq́ seruans* salutariter, & ex vsu publico illam administras. Enimuerò Princeps es Gente, Princeps dignitate, Princeps mente, linguâ, consilio. Namq;, ad mentem Demosthenis, dum nauis Reipub: est salua, promptè consulis, & prouidè: quia postquam fluctus exuperat, inane est studium. Consulis etiam seriò, & non properanter: quia omnia non properanti clara certaq; sunt: festinatio verò est cęca. Vidimus, videmus, videbimus bona consilia morâ valescere; maximè apud te, cuius consilij gubernaculum lex Diuina, sine cuius ope nihil ritè, nihil prouidenter auspicamur. Et ideò vel maximè fortis apud te, non obnoxia, sententia, quod magnum in Senatore, atque vtile munus, vt ex mente Soloni

συμβ

Συμβουλὴ μὴ τὰ ἥδιστα, ἀλλὰ τὰ κάλλιστα.

Nam reuera rara hęc nimis in aulis Principum virtus, vt ſit, qui omnia poſſidentibus verum dicat; dicis tu, Senator digniſſime, ſed moderatè: quia

Conſula nõ ſuaui ſima, ſ vtilißim

*Eſt modus in rebus, ſunt certi deniq; fines,*
*Vltra quos, citraq;, nequit conſiſtere verum;*

ſed tempeſtiuè: quia frequenter ſaluberrima medicina abit in perniciem, data non opportunè; ſed cõſtanter: quia fœda eſt vacillatio ſententiam mutantium, & certum ſignum non certę mentis. Certa mens tibi, nunquam te in aliquibus mutas, ſed potiùs aptas: quia vir verè prudens & ſapiens, non ſemper it vno gradu, ſed vnâ viâ: tu, vt verbo dicam, non curſum eundem tenes, ſed portum, qui eſt ſalus publici Boni. Sed in hoc gradu vel hoc vno potiſſimùm excellis: quia procul à te rei tuę ſtudium. quippe rectè cenſes, priuatas res ſemper offeciſſe, offecturaſq; publicis conſiliis: & pręcipuum veri iudicij venenum, atq; Reipub: interitum ſuam cuiq; vtilitatem. Docuerunt Athenę, olim ſub triginta Tyrannis afflictę: docuit Polonia bis ſub duodecim Palatinis.

*Tunc nos calcabant Moraui, tunc Pannones: omnis*
*Deniq; Lechitis quiſquis iniquus erat,*
*Dum ſua quiſque petit, quærit ſua.*

Ita, mehercle, ita, priuatum bonum, fidem & probitatem euertit: duo boni conſilij inſtrumenta. A Te, ô Princeps, iterum dico, procul huiuſce modi mẽs, procul ſententia: qui omnia ad publicam ſalutem dirigis.

 Ah vir

Ah vtinā in hac, & alijs virtutibus tibi ſimiles, qui gradu ſimiles: quorum aliqui (pleriq́ue, nolo dicere) in iſta altitudine, nihil niſi alti ſunt: & vt Cupreſſi, cætera ſteriles, præter ſpeciem nihil habent. Vtinam, dico, plures tuę claſsis ita ſint animati: non verear dicere, illorum ornamento, Reipub: pręſidio id fore; & conſultiùs atque feliciùs quædam adminiſtratum iri. Sed enim (prô dolor) cum nos longè oporteat proſpicere futuros caſus Reipub: iam deflexit de ſpacio, curriculoq́ue conſuetudo maiorum. Nimirum multi callido ingenio, ſemper mouent aliquid; & nec quieta, quieta ſinunt: multi officium ſuum ſanctum, atq; ſolenne rei ſuæ ſtudio comminuere ac violare ſolent: multi, priuati odij pertinaciâ, ſpirant in publicum exitium; etiam in CONSILIO SANCTIORI nō aliter quàm remiges, & nautę digladiantur in vna aliqua naui, & Bonum Publicum priuatis ſimultatibus impediunt, immemores exempli Ariſtidis, qui Themiſtocli valde aduerſus, in vnam legationem cum eo miſſus, ad portam vrbis veniens: Visnè, ô Themiſtocle, (inqt) inimicitias pauliſper hîc deponamus, recepturi eas, cū redierimus? Sciebat, ſcilicet, rem communem, ſine communione animorum nunquam rectè adminiſtrari. Demum multi certamen plerumq́ue adulationis certant, & dant ſe non magno alicui ſolùm; ſed his qui magni apud magnum. Quod vitium ita inhærens & affixum aulæ, vt deſperem poſſe euelli. Placentini, aut Laudenſes ferè totum hoc genus: quia aut eo ſententias

tentias dirigunt, quò Principem ire censent; aut in gratiam eorum flectunt, qui ipsi in flagranti gratia sint regentis. Nec mirum: nam & fructum pręsentem capiunt, & res, in facili, ac sine labore. Et ideò pauci Vero nenses. Tu inter eos primus, & Princeps, qui dignitatem tuam multos annos ita sustines, vt fidem probaueris, & communiter omnibus integritatem, animūqúe ab omni labe, aut corruptelâ immunem. Talis & tanta prudentia tua in quiete, quid in motu? Etiam hîc Patrię & Boni Publici integritas, & salus tibi scopus. Motum vidimus nostra ætate, cum arma subditorum in suum Regem mota pro religione & imperio: vidimus *parentes.*

*Frontibus aduersis fraternaq́; cominus arma,*
*Cognataśq; acies:*

*V*idimus milites in omne fas nefasqúe auidos, aut venales, non sacro, non profano abstinentes, quòd meritò mare ipsum dixerim calamitatum: vidimus homines quosdam maioris animi, quàm consilij, vno veluti filo appendisse Publicam salutem: vidimus omnia sic turbata, aut desperata, vt pars consilij censeretur, nō se miscuisse consilijs. Tu Te, miscuisti, mente, linguâ, factis. Etenim velut Sol dispellens tenebras iuisti obuiam malo; & in quiete, aut subductione aliorum manum ad clauum porrexisti: nam & manu strenuus, & consilio prouidus ad salutem Patriæ, & dignitatem Regis, lectissimum & copiosissimum exercitum aluisti. Aiunt gloriari solitum Q. Hortensium quod

nunquam ciuili bello interfuisset, tibi mens alia, & lex Solonis suasit: IN CASV (inquit) *Ciuilis discordiæ, qui non alterutri parti sese adiunxerit, sed à communi malo secesserit, domo, patria, fortunis careto: exul, extorrisq́; esto.* Quis enim color, aut ratio, cum tranquillis rebus ad Clauum sederis, vt deseras, abijciasq́ue eum turbatis? Romanus ille Cato, virtutum viua imago, non comitem solúm ciuilibus armis se præbuit, sed Ducem. Clari quippe & illustris viri est, omni tempore, cum omni honore in Repub: versari, atq; in ea excellentiùs sese gerere. Tu talis, ô Princeps, & fecisti: quia in communi illo motu iunxisti te gregi tuo: id est, bonis, & Regi tuo; sed cum hac lege, vt consilia tua, Pacis & Togæ socia, non belli, atq; armorum essent. Nam etiam in ipso æstu belli, huc illa contulisti: id est, victoriæ, atq; irę moderatus es: O virum! ô ciuem! certius sapientis exemplar, quàm Hercules, aut Vlisses: Istud profectò est istud, verè sapientem esse: exercere, & ostendere in Sole, atq; opere, quę aliis in vmbra atq; ocio disseruntur. Ecce hic

*surgit post nubila Phæbus.*

ecce felicem res sortita finem. Totius belli stamen, ac subtegmen tuâ prudentiâ abruptum est: belli, inquã, ciuilis incendium salute Patrię restinctum. Neque hoc satis, etiam alibi tuam prudentiã, tuas vires nouimus. namque à crudo & immani Scythico hoste, ceu ab imbre effuso, sæpenumero Patrię nostrę

*Omnis laterum compago fatiscit,*

dum audimus ab illis latronibus, loca sacra profana-

oppida capi, & incendi: agros vastari: multam hominum multitudinem in fœdam seruitutem abduci.

*Tu veniens nimbosq; fugas, solemq; reducis.*

quia positus in vltimo illo confinio, exultantem barbarorum audaciam comprimis: flammam, ferrũ, incendia, rapinas, libidinem, à nostra vita, tectis, fortunis, corporibus arces; à templis sacrilegia depellis, ab oppidis direptionem, ab agris vastitatem. Profectò tibi alij vitã debemus: alij libertatem: omnes securitatem. nunquam enim barbaro ex acie, aut campo cessisti: quia te duce tuus miles didicit vincere, barbarus vinci. O quàm frequenter campi illi, hostium aut sauciorum, aut morientium inconditis personant vlulatibus. Sic Princeps Illustrissime,

Ην ἔλαχες σπάρτην, ταύτην κόσμεις.

dignitatem dico & Patriam tuam, in cuius bonum & salutem mirificè te accendit. *Quã nactes spartã hãc ornas.*

*fax mentis honestæ*

*Gloria.*

per quam mortalis tua vita immortalis est. Vt enim olim Magi aduersus Plutonem & tenebras, lucido, & illustri amictu se muniebant: sic tu, veræ vitæ cupidus, aduersus mortalitatis horrorem, immortali luce laudis, atquè famæ; sine qua omnis vita mors est, obliuio omne nomen.

Finio, Princeps Illustrissime, vnaquè constanter assero, me, dum te sic Sarmatiæ, imò toti mundo, atquè æternitati depingo, aut defingo, de Bono Publico mereri.

reri. Leget hęc nostrum æuum, leget posterius, & imitabitur, te prisci, & illustris non magis sanguinis sobolem, quàm virtutis hęredem. Quidni? Conabitur ad eam gloriam atq; nomen id, quod iam tibi: id est, æternum atq; magnũ: quia tu ipse magnus, & omnia in te magna; maioraqúe futura, si maior aliquis tuę virtuti campus. Voueo, & acclamo; sed etiam maiorem aperio. Tu erigere,

*O decus eximium, & magnis virtutibus auge*

omnium de te conceptam spem, atq; expectationem. Ecce prisca Religio ab ipso Deo, per Deum, prolem Dei æternã, & Diuos nobis tradita, impetitur, & turbatur à sensibus, qui ab Orco nati. Fortiter resiste, & propugna, quæq; disiũcta, in vno assere. Vt enim Principis est in õni virtute populo pręire; ita in pietate maximè, quæ princeps, & caput virtutũ. Ecce Patria nostra (prô dolor) in varia distracta, grauib⁹ vrgetur ꝓcellis, vrgetur internis, & externis fluctibus, &, vt video, sanguinis Polonici fluctib⁹ miserandũ in modũ premitur, vt video,

*Nudum remigio latus,*
*Et malus celeri saucius Africo,*
*Antennæq; gemunt, ac sine funibus*
*Vix durare carinæ*
*Poßint imperiosius*
*Æquor.*

Agè cum Deo benigno, vir prudentissime, accede, & iuua gubernaculum Tuâ prudentiâ, Tuo consilio; sed etiam forti dexterâ. Superbit Tyrannus, & hostis Asiaticus

aticus ob noſtrum ſanguinem recens effuſum. Accingere gladio tuo ſuper fęmur tuum, vlciſcere, & aliquãtulùm decus nominis Polonici imminutum inſtaura. Porrò cum iſthęc duce ſupremâ illâ mente, quę omnia ex mente, & ſalute noſtra facit, effeceris, Muſę tibi reſtant, Muſæ: & vnicum illarum domicilium, vnica, inquam, in totâ Sarmatiâ Academia noſtra, quę candidè, & conſtanter cõtra omnes verę pietati aduerſantes opiniones, validum ſemper fuit propugnaculũ: atq; etiam procreatrix fortium virorum, Bonum Publicum amantium, & illud in melius promouẽtium. Eam tu, Princeps Illuſtriſsime, quę tibi per me ſuos commendat Lares, calidè, oro, foue, promoue, attolle, contra inſurgentes liuidorum impetus defende, & vnà me alumnum, aut filium eius in tuam tutelam, atq; fidem ſuſcipe. Magnum æternumqúe, vt dixi, iam tibi nomẽ, maius æterniuſqúe ( ſi licet ſic dicere ) te manet à Muſis: quia vt rectè Pindarus: Ῥῆμα δ' ἐργμάτων χρονιώτερον βιοτεύει, ὅτι κε σὺν χαριτῶν τύχα γλῶσσα φρενὸς ἐξέλο βαθείας.

Imò à ſolis Muſis vna, & ſola æternitas: nihil enim eſt, cui non ſenectus ſua; *Virtus*, & Muſa, ſolæ immunes ab iſta lege.

DIXI.

*Serm… ctis di… ùs vi… quem… Grati… volẽti… lingua… mente… tuleri… funda…*

